

8
evanescit, nisi alterius Musices gratioris delectamento, sicut conditorum usu, insipidi & ingrati videntur cibi simplices. Uno verbo, rusticus agresti Musicæ assuetus, plurimum delectatur, & vi Musices delicatioris quasi stupefit: quod non consuetudo, sed motus involuntarius ex ipsâ vi Musices, quæ multiplici ratione corpus afficit, operatur.

Ergo ad sanitatem Musice.

Proponebat Parisius LUDOVICUS - RENATUS MARTEAU,
Acolythus Parisinus, Doctor Medicus Cadomenfis, & Saluberrimæ Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743.
à sextâ ad meridiam.



Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Parisiensis
Typographi, 1743.

DEO OPTIMO MAXIMO,
VIRGINI DEI-PARÆ,
ET S. LUCÆ MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO.
QUÆSTIO MEDICA.

*Cardinalitiis agitanda Disputationibus, in Antonianis Medicorum Remensium
Scholis, die Veneris 27. Septembris, horâ post meridiem secundâ.*

M. PETRO JOSNET, Professore Antoniano & Decano, Præsidente.

*An febris Exanthematica, Abbavillais la Maladie, aqua minerales Abbavillæ
prophylacticum?*

I.



UT morborum, ita & curationum infinita varietas. Quidam lentiori incedentes gressu, medentis peritiæ, medicamentorumque viribus obsequiosi cedunt: alii semel nati, incircuibili furunt impetu; vulgaribus armis indomabiles, remediis cedere nesciunt; prophylacticis autem jamjam imminentes avertuntur. His annumeranda febris exanthematica, quæ anno 1718. Abbavillam, & adjacentes regiones cum devastasset; pristinæ cladis memoriam sæpius revocat, non paucos civium in modum tributi mactando. Merbi illius causa remota, obscurâ huc usque later involuta caligine; nullaque præservatorium indaganti patet via, nisi observatio læsionum quas infert corporis actionibus. Inter anni 1718 æstivos calores sæviit; & ab hoc anno, nullâ ferè, nisi æstuosâ tempestate, caput extulit. Inter eos quibus infestus fuit, multos sanguineos, floridâ valetudine gaudentes; vix senes, languidas mulieres, vel caularios numeraveris. Præcipua quibus se prodit symptomata, sunt virium summa prostratio, capitis dolor, angor, pectoris anxietas, nausæ; pulsus frequens, undosus, nec renitens admodum: febris brevi tempore per totum diffusa corpus, intolerabili calore deurit; largos & continuos elicit sudores, quorum urinofus fætor contagiosam latè spargit veneni subtilitatem: molestus oritur pruritus, mox erumpendarum pustularum prænuntius: brevî tota cutis, in thorace primò, mox in brachiis, pustulis innumeris colore pulicum morsus referentibus conspersa videtur. Sanguis interea, vasorum ruptis parietibus, per hæmorrhagias profusè diffluit, quibusdam per nares, aliis per alias vias. Urgent vigiliæ, vel turbulenta somnia ægrum lacescunt: tandem præeuntibus molestiâ, jactationibus vix enarrandis, pulsus fit durus, frequentissimus. Sæpius in delirium incidit æger, vel lethargo immergitur; vitamque cum morte mutat æstu torrefactus, sudoribusque demersus. Hæc præcipua morbi symptomata

2
nos ad ejus genii notitiam adducent, quâ ad prophylaxim tutior via patebit.

II.

AQUACUMQUE causâ remotâ natales acceperit; continentem in humorum rarefactione, dissolutione, alcaliescentiâ; solidorum flacciditate & atoniâ repositam indicant præmissa: sublato etenim inter solida & fluida æquilibrio, sanitatis sacro; solidis jam deest robur, quo possint liquidorum expansionem coercere; undè eorumdem stagnatio, putrefactio. Quid aliud ostendunt ingens collapsus virium, debilitates, anxie jactationes, febris nostræ insultibus præludentes; nisi universam fibrarum atoniam? sudores symptomati in quos resolvuntur ægri, pustulæ per cutem diffusæ, sanguinis & lymphæ dissolutionem clamitant: hæc tenuior jam facta, quæ possit coerceri vasis, quorum diameter aucta, parietes verò flaccidi sunt, insolitum per cutaneas glandulas sibi cudit tramitem, è quarum emissariis sudorum sub formâ depluit. Sanguis ruber in lymphatica vasa erumpens, ad minima pervenit; in quorum finibus stagnans, pustulas rubras, pelluciditate tunicarum conspicuas efformat. Hæmorrhagiæ frequentes demonstrant sanguinem attenuatum, solum, in vasa irrepisse, quorum tunicæ impetui ferendo impares laceratæ fatiscunt. Tandem sudorum fœtor urinofus, sanguinis oleorum, sulphurum, salium exaltationem, ab ipsius principiorum soluto nexu productam arguit. His rationum momentis, depromptas à remediis effectibus observationes adde: à sudoriferis illatas noxas: diluentium è contrâ, refrigerantium, & imprimis acidorum, quotidianis experimentis comprobatum juvamen: nullus supererit dubitandi locus, quin febris nostrâ à solidorum atoniâ, fluidorum expansione, dissolutione, alkaliescentiâ nascatur.

III.

MEDICAMENTORUM quæ huc usque Medicis innotuerunt, quædam morborum causas, virtute sæpius latentem conquassatas auferunt: alia intactis morbi causis, in corpus tantum agunt; in illo talem inducunt dispositionem, ut à causis morbificis parum, vel minimè lædatur. Huic ultimæ classi annumerantur prophylactica morborum à causâ remotâ latente. Vis ut unum præcavendæ febri suprâ descriptæ satis validum depromam? patet illud triplici virtute, præ cæteris, insigniri debere. 1^o. Aquei principii tantâ copiâ ditare debet sanguinem, ut ipsius globulis sufficienti vehiculo nantibus, eorum inter se, & ad vasorum parietes attritus vitetur augmentum; cui rarefactio, dissolutio ortum debent. 2^o. Ad talem energię gradum, solidorum adducat systema necesse est, quo liquidorum expansio morbosa coerceri, & insolita flacciditas, febri nostræ prævia, præoccupari valeat. 3^o. Tandem vim habeat humorum partes, tam arcto mixtionis nexu inter se compingere, ut consistentiam quamdam sanguini conciliet, eum adversus dissolutionem, & alkaliescentiæ causas omnes certò condituram. Inter medicarum divitias, nullum hæc triplici virtute egregiùs instructum reperias medicamentum, quàm *aquas minerales acidulas chalybeatas*: in earum ordine, *salubritatis*

3
præstantiâ eminent *Abbayillæ*, de quarum dotibus fidem faciunt, quæ hîc subnectimus experimenta in eas instituta.

Experimentum primum.

Aqua ex scaturigine recens haupta, saporem refert metallicum acidiusculum.

Experimentum secundum.

Eadem, additâ gallarum raturâ, purpureo colore statim inficitur; manifesto indicio acidi vitriolici sed volatilis; colorem enim non accipit postquam aëri, præsertim calido, fuit exposita.

Experimentum tertium.

Aqua vaporando odorem acido-sulphureum exhalat. Dissipata, relinquit sedimentum, in quo post lotionem & colaturam reperiuntur sal mirabile glauberi, sal seliniticum, sal marinum; denique substantia quædam bituminosa, *aqua mater* chemicis dicta, residua à vitriolo martiali in aquâ copiosè existente; sed vaporationis tempore, propter acidi volatilitatem destructo.

Experimentum quartum.

Particulæ ferri, magnetis ope, residuæ deprehenduntur.

Tandem horumce principiorum natura pluribus aliis, brevitatis causâ prætermittendis experimentis, comprobata constat.

IV.

AQUEI, ferrei, & acido-salini principii in *Abbayillæ* fonte concurrente trium-viratu, adversus triplicem febris nostræ causam, ære triplici prophylactico loricamur. Primariæ quidem occurrit ipsum fontis aquosum principium, seorsim consideratum: quid enim aquâ dare fluiditatem aptius? hæc, humorum, ferositatis jacturam præteritam refarcit, præsentem reparat, futuræ materiæ largâ manu supeditat. Sic partium constituentium humores in se, & ad vasorum parietes nimium attritum, alkaliescentiam præcavere, acrimoniam quamcumque retundere, concretionibus obstare, natas resolvere valet. Quid plura; humiditatem, fluiditatem ab aquâ nullus non expectat. Ferrum astringendi, roborandi potens, in partes stupendæ tenuitatis per aquas nostras dispersum, earum vehiculo abreptum, vasa corporis tenuissima perreptat; ipsa rigiditatis, elasticitatis, quâ pollet, in partem adducit; eorum tensionem & robur adauget, elasticitatis tonum secretionibus & excretionibus necessarium, etiam adversus flacciditatis & atoniæ causas servat intemeratum. Secundam igitur optatæ virtutis partem à ferro mutuabitur fons noster. Reliqua illius principia deprehenduntur esse acidum vitriolicum volatile, & ex ejus cum variis basibus connubio, nata salia superius recensita, excepto marino. Salia hæc, in genere, humores in debitâ consistentiâ crasi servare, eorum imprimis putredini adversari valent: aut acidum vitrioli, inter acida primarium, quo nihil fortiùs coagulat, nihil alkaliescentiæ potentiùs opponitur, illis dotibus præ cæteris insignitur. Illud in aquis nostris, contactu phlogistici principii factum volatile, sanguinem alluendo ipsius partes compingit, adunat; earum rarefactioni, dissolutioni validè obsistit; alkaliescentiam, putredinem si natam tollit, imminem tem tutò, certò, &

juvundè removel. Quid igitur, ad insultus adèd timendæ luis præcavendos tutius, omnium temperiei accommodatius, Abbavillæo fonte indicari potest.

V.

OBJICIES fortè, febris nostræ causis gratis annumeratam fuisse fibrarum atoniam, fontis martiali principio medicabilem. Plethoricorum & benè valentium, quos illæsis causariis, ferit epidemica lues, exemplo fretus, causam ejus continentem à fibrarum rigiditate auctâ potius, quàm destructâ deduces: proindeque aquâ chalibeatâ accersendam potius, quàm prævertendam probare tentabis. Ast nodum solvere non arduum est: eò major ad sanitatis integritatem in solidis vis requiritur, quò major liquidi movendi moles: hinc juxta divini Senis effatum, *bene habita athletarum valetudo ad summum progressa, ubi ad plenitudinis statum pervenerit, lubrica est.* Athletici corporis laxa fibras; fluidorum pondere corruet obrutum. Hinc lassitudines spontaneæ, jactationes, anxietates, sudores à laxatis vasorum tunicis, febris nostræ symptomatum choræas duxerunt. Sed instas, illius sævitiam effugiunt causarii: esto, minimè tamen ad fibrarum laxitatem eorum salutem referas; sed potius attendas ad Vappidos quos in vasis alunt liquores; spiritibus destituuntur; pauxillum quo ditantur sulphure, phlegmatis gurgite immersum, eos à rarefactione tutos præstat & immunes. Talis hypochondriacorum, cachecticorum frequens observatur diathesis. Felices igitur Abbavillæi, quorum mœnia, fontis, auro perruviano contra non mutandi, scaturiginem reconduunt: hujus ad aquas certatim properent; achilleam securitatem, contrâ reformidatam urbi luem confidenter hauriant; earumque potu incolumes servati, nobiscum læti concludent

Ergo febris Exanthematica, Abbavillæis la Maladie, aqua minerales Abbavillæa prophylacticum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. HENRICUS-JOSEPHUS BERNARD, Professor Anton.

M. PETRUS JOSNET, Professor Antonianus & Decanus, Præses.


M. HENRICUS MACQUART, Professor Scholarum.

M. THOMAS LARBRE, Professor Scholarum.

M. LUDOVICUS-HYERONIMUS RAUSSIN, Professor Scholarum.

Proponerat Remis JOANNES-RAPTISTA BOULLON, Abbavillæus, Facultatis Medicæ Remensis Baccalaureus, A. R. S. H. M. D. XLVIII.

PRO LICENTIATU.



NOBILISSIMO D. DOMINO
LUDOVICO JOANNI LEVESQUE,

TOPARCHÆ DE POUILLY, BOUILLY ET ARCY LE PONSART,
PRÆTORI URBANO:

CELEBERRIMO SENATUI, POPULOQUE REMENSI
SUPRA MODUM FIDELISSIMO

DEDICAT, VOVET, ET OFFERT
OBSEQUENTISSIMUS HENRICUS NINNIN, S. F. M. R. B.

QUÆSTIO MEDICA.

*Cardinalitis agitanda Disputationibus in Antonianis Medicorum Remensium Scholis
die Lune 7. Julii, horâ octavâ matutinâ.*

M. HENRICO MACQUART, Professore Scholarum, Præside.

An Vidula salubris?

I.



T primævus homini, ita saluberrimus potus, aqua; quæ nusquam quidem non reperitur; nulli aut animantium aut vegetantium generi non accommodata. Abit in sublime, ætheraque occupat; unde decidua, omnibus ferè quæ terra gignit, causa est. Hinc sobolescunt semina, crescunt plantæ, virefcunt, fructuque...